

caro ejus fuisse *in similitudinem carnis peccati*, ob assumptas ultro poenitentias, quae carnem humanam peccato maculatam tanquam poenae comitantur.

Ad 2^{um}. R. Dicunt esse mundatam, intelligendo mundationem, quae pro termino a quo dicat negationem sanctitatis, vel culpam quae processit N. quae pro termino a quo dicat culpam quae futura fuerat, nisi gratia processisset C. Cajetanus ipse haec objiciens fatetur testimonia illa optime et proprie intelligi de præservatione: et NAZIANZENUS non sine mysterio vocat B. V. *præpurgatam*.

Ad 3^{um}. R. Haec verba nec sunt EUSEBII Emisseni, utpote cujus scripta intercederunt, sed EUCHERII Lugdunensis vel FAUSTI Rheiensi Episcopi; nec fidèliter referuntur. Non enim dicitur absolute, neminem, neque etiam Virginem, caruisse originali peccato, sed: neque *per se* immunis est ipsa genitrix Dei; quod verissimum esse num. pr. dictum est, et ostendit simul, per Christum Virginem fuisse immunem.

Ad 4^{um}. R. Periodus ista non est ANSELMI, sed Bosii, qui ad Anselmum velut quidpiam objectans loquitur: cumque non de conceptione duntaxat, sed de nativitate etiam dissenserat, in omnium sententia expositionem exigit. Porro hic loci datum ANSELMI responsum, Virginem nempe *ab omni labe fuisse mundatam*, eamdem explicationem patitur, quam ad 2^{um}. dedimus: quin etiam postulare videtur, ut eum iis, quae L. de Concept. Virg. cap. 7. et 18. dixerat, conciliari possit. His adde celebre illius dictum apud Raynaldum, Opusc. de pietate Lugdun. *Non puto amatorem Virginis, qui respuit celebrare ejus conceptionem.* Unde CONC. CANTUARIENS. an. 1328. testatur, a S. ANSELMO cultum Immaculatae Conceptionis primo in Angliam inductum.

Ad 5^{um}. R. Nec S. BERNARDI reprehensionem, nec argumentum nobis obesse. Lugdunenses enim is non reprehendit *simpliciter*, quod instituerint hoc festum, sed quod sine Ecclesiae Romane auctoritate id fecerint: in argumento autem suo nomine conceptionis intelligit primam organizationem corporis, quae fit inter maritales amplexus et in instanti, quo parentes generant. Hanc autem conceptionem *materialem et imperfectam* a nobis non dici sanctam supra notatum fuit. Quod vero S. BERNARDUS, si nunc in vivis versaretur, nobiscum consensurus esset, ipse satis aperte declarat, dum de hujus festi institutione ait: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas.* Et dum epistolæ sue subjicit hanc clausulam: *Romanæ præsertim Ecclesiae auctoritatî atque examini totum hoc, sicut et cætera, que cuiusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid alter sapio, paratus judicio emendare.*

Ad 6^{um}. R. Non negari a nobis Sanctos quosdam atque *veros* etiam *Mariophilos* contrariae fuisse opinionis: Eorum vero auctoritatem eam esse, quae aliorum pia sententiae et Patrum traditione fundatae, et Ecclesie favore confirmatae, et communis Fidelium devotione receptae præferri aut æquiparari queat, inficiamur.

124. *Obj. III.* Sententia nostra ex auctoritate Ecclesiae nihil videtur retulisse præ contraria, quam testimonium pietatis.

R. N. Ass. Ejus falsitas abunde liquet ex dictis num. 120. et 121. Unde sententia pia est proxime definibilis ab Ecclesia, estque conclusio deducta ex præmissis, quarum una est de fide, altera certa et evidens.

Inst. 1. PIUS V. sua in Constitutione §. I. *Liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiae quilibet partem, prout vel magis pium vel magis probabile esse judicaverit.* Ergo contraria videtur declarari magis probabilis: et certe probabilis haberi debet, cum eam censurare graviter sit prohibitus ab eodem et aliis Pontificibus.

R. N. *Cons.* Tum quia hanc nec verba evincunt: tum quia aliud est, sententiam alicui videri magis probabilem, aliud esse. Modestissima sed et gravissima est assertio SUAREZI: *Dico sententiam asserentem, B. Virginem fuisse immunem ab originali culpa, consentaneam magis esse non solum rationi, sed etiam sanctorum Patrum doctrinae et Ecclesiae auctoritati: quocirca jam hoc tempore existimo sententiam hanc tam esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse potest.* Quod de censuris additur, pertinet duntaxat ad id, ne contraria dicatur haeretica aut peccato mortali obnoxia aut impia; non prohibetur tamen dici minus pia, minus communis, communissimo fidelium sensu contraria, propensissimo summorum Pontificum favori repugnans etc. Quin, quamvis a nobis non dicatur falsa aut improbabile, eam tamen positive probabilem dicere non audemus.

Inst. 2. PAUL. V. et GREG. XV. hanc clausulam suis Decretis addidere: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita.*

R. Ecclesia instituendo festum Immaculatae Conceptionis, et ALEXANDER VII. declarando ac definiendo per hoc festum coli B. Virginem in puncto creationis animæ et conjunctionis cum corpore fuisse sanctificatam et præservatam a peccato originali, non potuit non inferre grave præjudicium opinioni contrariae. Quare clausula illa nihil aliud significarunt Pontifices, quam quod nolint illi sententiae præjudicare per prohibitionem, ne publice aut privatim proponatur aut defendatur: sed quod velint illi relinquere eam probabilitatem, quam præcisa hac prohibitione sententia opposita habere potest in concurso instituti ab Ecclesia festi. Adverte tamen hanc clausulam ab ALEX. VII. esse omissam, et ejus declaratione proxime memorata præcipuum adversariis effugium eruptum.

Inst. 3. PIUS V. Officium de immaculata Conceptione a SIXTO IV. approbatum, indulgentiis dotatum et insertum Romano Breviariorum, indignum judicavit, quod in Ecclesia legeretur, utpote ex confictis Patrum auctorumque Ecclesiasticorum testimoniis conflatum, nec Ecclesie menti conveniens; ut ait Natalis Alexander §. 21. Diss. 16. Sec. II.

R. An veram causam referat NAT. ALEXANDER, discernere nunc quidem, quod illud Officium ad manus non sit, non licet; SUAREZ tamen aliique censem, id non fuisse factum, quia aliquid falsum in eo continebatur, sed quia Pontifex omnia ad morem antiquum revocare intendit. Illud certum, multum etiam a PIO V. favoris impensum esse nostræ sententiae, quod festum Conceptionis et Nativitatis eodem officio celebrari statuerit, utriusque solemnitatis propria ratione retenta: certum etiam, a Natali Alex. non fuisse detersam Scholio suo III. ad Diss. cit. Romanam censuram hanc: *De Conceptione B. Virginis loquitur contra Pontificum decretâ;* siquidem post Alex. VII. Constitutionem illi scribere non licuit, Conceptionem B. Virginis celebrari non propter propriam sanctitatem, sed propter sanctitatem et

dignitatem personæ conceptæ, quæ predestinata et concepta fuit, ut esset Dei Mater.

Indulgentiarum porro *Officii* recitatoribus concessarum, qualemcumque subtractionem liberaliter compensavit *GREGOR. XV.*, qui centum annorum indulgentiam concessit pie pronuntiantibus elogium sequens: *Benedicta sit purissima et immaculata Conceptio B. V. Mariae.*

123. Obj. IV. B. Virgo debuit dici redempta per Christum; quia juxta 2. ad Cor. c. 5. *Christus pro omnibus mortuus est*; juxta 1. ad Tim. c. 4. *Christus est Salvator omnium hominum maxime fidelium*; juxta Canticum ipsius Virginis, *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, h. e. salvatore*, ut textus græcus et omnium expositio habet. Ergo in peccato concepta fuit. *Conf.* ex ZOSIMO P. M. in ep. inter Augustinianas 137. et S. AUG. conc. 2. in Ps. 60.

R. *Duplex* est redemptio, *reparativa* nempe et *præservativa*. *1^a.* Datur, quando quis liberatur a peccato jam contracto; hæc strictior et rigorosior est, qua nos a Christo redempti sumus, postquam peccati originalis maculam et captivitatem sub dæmonis potestate jam incurramus. *2^a.* Datur, quando quis prius juvatur, et eatenus liberatur a peccato, ut illud nunquam incurrit: hæc nobilior et excellentior est, qua B. V. fuit redempta, cum ob pretium sanguinis Christi prævisum Deus illam a contrahenda culpa originali præservavit. Posterioris liberationis et redemptionis meminit David, dum canit Ps. 85. v. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et Ps. 143. v. 10. *Redemisti David serum tuum de gladio maligno.* Meminerunt etiam Patres, S. AUG. L. 2. Conf. c. 7. et S. BERN. serm. 22. in Cant. Unde ad Arg. et Conf. D. Non fuit redempta redemptione reparativa, si non fuit in peccato concepta C. redemptio præservativa N.

Inst. 1. Juxta communem B. Virgo suscepit *baptismum Christi*; ergo habuit peccatum saltem originale; quia ad id delendum baptismus institutus est.

R. N. *Cons.* Rationem D. Baptismus tantum est institutus ad peccatum delendum N. non tantum *subd.* ita ut, nisi actu deleat peccatum, non sit baptismus N. ita ut, nisi per se haberet vim delendi peccata, baptismus non esset C. Baptismus ex Christi institutione 1^o. per se confert gratiam primam: per accidens tamen nonnunquam de facto non confert nisi gratiam secundam, quando scilicet adultus perfecte contritus ante baptismum hoc Sacramentum suscipit: 2^o. Tribuit characterem servorum Christi et fidelium Ecclesiae, confertque capacitatem ad reliqua Nov. Legis Sacraenta.

Quamvis itaque baptismus *beatissimæ Virgini* non fuerit necessarius ad effectum 1^{um}, fuit tamen ad effectum 2^{um}, quin etiam ratione 1^o, duntaxat utilis illi fuerat, sicut adulto est in casu dato. Cæterum ex baptismo Christi suscepto tam parum probatur maculata B. Virginis conceptio, quam parum quis deducere potest, Christum habuisse quidpiam pœnitentia eluendum, eo quod suscepit *baptismum Joannis*.

Inst. 2. Corpus B. Virginis fuit obnoxium fami, siti, aliisque vitæ mortalis incommodis, et ipsi morti. Hæc autem sunt pœnae peccati; ergo.

R. D. M. Hæc sunt *per se* pœnae peccati, ita ut non forent nisi in corpore humano peccatis subjecto N. de facto sunt pœnae in corpore peccatis subjecto,

licet in alio non infecto possint esse connaturales C. Inter Baianas propositiones damnatas habetur etiam hæc 73. *Nemo præter Christum est absque peccato originali.* Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum. Et 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.* Cum vero ex his constet, possibilitatem æque ac mortem corporis homini non tantum ex spirituali, sed et ex substantia corporea composito in statu puræ naturæ fuisse connaturalem, facile intelligitur, qua ratione B. Virgo ærumnis corporis et morti subjacere potuit, etiamsi peccato caruerit originali.

Inst. 3. S. AUG. in conc. 2. Ps. 34. ad vers. *Ego autem, cum mihi molesti essent, dicit: Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Item L. 4. contr. 2. ep. Pelag. c. 4. *De uno solo, inquit, mediatore Dei et hominum Christo Jesu fides catholica novit, quod pro nobis mortem, hoc est, peccati pœnam, sine peccato subire dignatus est;* ergo mors in B. Virgine fuit pœna peccati contracti.

R. N. *Cons.* Sicut ex primo *textu* constat, aliter Adamum, aliter Christum mortuum esse propter peccatum; sic etiam B. Virgo aliter, ac reliqui posteri, potuit esse mortua propter peccatum. Nempe reliqui sunt mortui propter peccatum Adami tanquam *causam* stricte dictam mortis: B. Virgo autem propter illud tanquam *occasione* mortalitatis; quia peccatum Adami fuit occasio, dependenter a qua illa fuit decreta mortalitatis: scilicet *quia*, ut ibid. S. AUG. de Christo præmittit, *carnem assumpsit de massa, quæ mortem meruerat ex peccato.* Causa vero, cur Deus noluerit B. Virginem exemptam a morte, quam tamen a lege fomitis, dolore partus, corruptione corporis, aliisque ærumnis exceptis, varia a Theologis assignatur; inter quæ *prima* est, quia mors pre illis ei conducebat magis ad patientiam et meritum: *secunda*, quia sic Christo pro nobis mortuo evasit similius: *tertia*, ut constaret, eam ejusdem nobiscum esse nature et non Deam, ut somniabant *Collyridiani*, aut Angelum, ut putabant *Manichaorum* quidam.

Vis *secundi* *textus* in eo stat, quod Christus mortuus sit sine peccato pro nobis, et quod hoc fide catholica credendum sit. Nemo autem nostrum asserit, B. Virginem pro nobis esse mortuam, neque tanquam fidei dogma venditamus, B. Virginem mortuam esse sine peccato.

QUERES: An B. Virgo habuerit debitum contrahendi peccatum originale?

126. *Nota.* Debitum hoc communiter a Theologis dividitur in proximum et remotum. *Proximum* dicitur, quod oritur ex inclusione in pactum cum Adamo initum; ex eo enim sequitur *proxime*, quod posita prævaricatione Adami inclusus ejusmodi debeat tum ob pacti ipsius conditionem, tum ob peccati actualis non remissi naturam in primo conceptionis instanti contrahere peccatum originale, inquinari macula, et debitum ad sustinendam Dei inimicitiam subire, nisi hoc ipso instanti ex misericordia benevolentissima Deus remittat peccatum, cedat juri jam acquirendo, et gratia sanctificante impedit maculam. *Remotum* dicitur communiter, quod non oritur ex inclusione in pactum, sed tantum ex descensu ab Adamo per viam generationis

ordinariam; quia homo taliter genitus, etsi ex singulari privilegio non fuerit inclusus pacto, debuisset tamen de via ordinaria includi, nisi Deus speciali favore cum ipso dispensasset.

R. I. Non est positive improbabile, B. Virginem caruisse *debito proximo*.

Prob. Sententia negans *debitum proximum* seu Deiparam peccasse in Adamo, non habet contra se motivum certum et insolubile; nam

Fundamentum primum est generalis propositio Pauli, qua ad Rom. 5. dicuntur *omnes in Adamo peccasse*.

R. D. Est generalis propositio, sed quae potest intelligi in sensu accommodo *C.* quae debet intelligi in sensu absoluto *N.* Vid. dict. n. 122. ubi eadem responsio adhibetur ab auctoribus hic nobis contrariis. Quin hoc in testimonio sermonem fieri de ipso peccato originali, apertum fit ex Trid. Sess. 5. can. 2.; utpote in quo anathema infertur illi, qui dixerit posteros Adami non concipi in peccato originali, ratioque subjicitur his verbis: *Cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo si nullam limitationem ferret generalis propositio, probaret Virginem fuisse etiam in peccato conceptam.

Fundamentum secundum est ratio proponendi dogma de peccato originali a S. Paulo usurpata. Nam 1^o. facit sensum copulativum, dum ad Rom. 3. dicit: *Omnes peccaverunt, et agent gloria Dei. Justificati per gratiam ipsius per redēptionem, quae est in Christo Iesu.* Ergo si postremum membrum habet sensum absolutum, eumdem habebit et prius. 2^o. Facit comparationem, dum 1. ad Cor. 15. scribit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ergo, ut teneat paritas, etiam B. Virginem in Adam mortuam esse oportet. 3^o. Argumentatur 2. ad Cor. 5. his verbis: *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus.* Invalidum autem esset ratiocinium, aut Christus mortuus non esset pro Virgine, si haec mortua non fuisset.

R. Vel ipse VASQUEZ nobis contrarius ingenue fatetur, hoc argumento non evinci quæstionem: tum quia in priori Apostolus non contendit, singulos homines nullo excepto peccasse, sed omnes, sive Judæi sive Gentiles sint, deliquesce, et gratia Dei indiguisse, ut ita ostenderet, Judeos ab hac lege non fuisse exemptos, quod haberent legem scriptam et circumcisionem, in qua ipsi præ aliis gloriabantur: tum quia in posterioribus dicuntur omnes mortui; esse autem aliquem mortuum peccato, significat illum in se habere peccatum, unde sequeretur B. Virginem originale etiam *contraxisse*. Quare

Ad 1^{um}. R. N. Cons. Quia sicut identitas vocis gloria non facit, ut eadem gratia reparativa omnes indigeant, sic nec signum copulativum facit, ut vox *omnis* eumdem sensum in primo, ut in secundo, teneat.

Ad 2^{um}. iterum *N. Cons.* Paritas tenet, licet in Adamo Eva non peccaverit; ergo et stare potest, quamvis Deipara non peccaverit in Adam. Vide præterea expositionem hujus textus num. 73. sub fin.

Ad 3^{um}. etiam *N. Cons.* Vadem hujus responsionis habemus S. ANSELMI in Comment. ad hunc locum scribentem: *Manifeste annuntiat, omnes homines mortui sunt in peccatis nemine priorsus excepto, dempta matre Dei.*

Quin ipsos hic nobis Adversarios vades appellamus. Si enim valet argumentum Apostoli, quamvis B. Virgo non fuerit mortua proprie, quia mors animæ non ipsum peccatum formaliter, sed ejus effectum nempe privationem gratiae sanctificantis dicit: sed tantum habuit *debitum proximum*, h. e. debitum subeundi actu privationem gratiae et mortem animæ: stare etiam ejus vis potest, quia B. Virgo habuit *debitum rematum* moriendi, cuius effectum ne incurreret, præservata est per mortem Christi. In utraque enim responsione a proprietate verborum receditur cum alio fundamento.

Fundamentum tertium est redemptio saltem *præservativa*; per hanc enim debuisset B. Virgo excipi etiam ex meritis Christi ut Redemptoris: hoc vero repugnat; quia Christus non fuit prædefinitus ut Redemptor ante peccatum Adæ *absolute prævisum*. Unde sequitur B. Virginem ante illum ex ejus ut Redemptoris meritis excipi non potuisse.

R. Argumentum hoc penitus enervari, si dicatur, vel Christum ut Redemptorem fuisse prædefinitum ante peccatum Adæ *absolute prævisum*: vel Christum ut Redemptorem, pactum cum Adamo, peccati permissionem et immunitatem Virginis simul in uno eodemque signo fuisse definitum. Qui vero Christum etiam post Adæ peccatum *absolute prædefinitum* admittunt, defendunt nihilominus prædictam immunitatem, secundum varium tamē decretorum ordinem, cuiuscumque systemati proprium.

R. II. Positive probabile est, B. Virginem caruisse *debito proximo*, h. e. peccato originali in Adam commisso. De probabilitate *extrinseca* liquet; quia haec assertio est saltem æque communis ac contraria: *Communiorem* etiam vocant Recentiores passim, et mea quidem opinione, vere ac recte, si huic sententiae singulari adversantes se Jungantur ab aliis, qui forte privatum adhuc sensum priori articulo oppositum gerunt. Pro *intrinseca* ex motivis plurimis, alias afferti solitis, haec pauca annotasse sufficiat.

Motivum 1^{um}. est paritas et vis *rationum*, quæ pro priori articulo allatæ fuerunt. Nam 1^o. *SCRIPTURÆ* textus, qui ab Ecclesia ad B. Virginem transferuntur, æque videntur excludere ab illa peccatum in Adamo commissum, et quasi actuale originale, ac peccatum contractum, et quasi originale habituale. 2^o. *TRIDENTINUM*, quamvis Sess. 5. bis mentionem in suo de peccato originali decreto fecerit illius effati Paulini: *In quo omnes peccarunt*; universalem tamen exceptionem de Virgine in clausula subiungit. 3^o. SS. PATRES, vel puritatem et sanctitatem prorsus singularem Deiparae commendantes, vel omne peccatum ab ea quæstionem de illius peccato quocumque removentes, sane probabiliter intelligi possunt enuntiassse de debito proximo, quod re ipsa peccatum est, aut illud saltem supponit. 4^o. *FIDELIUM* etiam *sensus omnino communior* videtur, ut ex concepta eorum aestimatione de matris Dei dignitate, et ex horrore a macula etiam ab alieno peccato profecta appareat. 5^o. *AUCTORITAS ECCLESIE POSITIVA* quamvis non adsit, ejus tamen permissione post contradictorium in senatu Inquisitionis judicium probabilitatem non levem addit, et notam temeritatis aut imprudentiæ, quam quidam aspergere conantur, diluit.

Motivum 2^{um}. est paritas et vis *privilegiorum*, B. Virgini communiter concessorum. Nam 1^o. si propter *dignitatem Matris* statuitur esse immunis a peccato originali contracto, ex iisdem etiam rationibus oportet eam eximere

a debito proximo; quia haec ignominia etiam matris in Adamo peccantis alias redundaret in filium : esset aliqua conventio Christi ad Belial : introisset Sapientia incarnata in malevolam animam : nec Amica Sponsi tota pulchra foret, nec sine omni macula. 2º. Sicut fomes concupiscentiae a peccato est, et in peccatum inclinat, sic debitum illud proximum a peccato est, et in peccatum nempe originale cuique proprium inclinat et quodammodo necessitat, ita quidem, ut nonnisi per ingens miraculum a culpa originali liberetur, qui ejus debitum habet; ergo si libera admittatur B. Virgo a fomite, liberanda etiam est a debito. 3º. Virginitas perpetua et incorruptio corporis vindicatur Virgini, quamvis utriusque defectus esse potuisset sine culpa morali quacumque ; ergo immunitas a debito illi asserenda, quod saltem sine culpa in alio admissa esse nequit. 4º. Juxta S. ANSELMI effatum decuit, ut B. Virgo ea puritate niteret, qua sub Deo major non possit intelligi. Posset autem intelligi puritas major, si Virgo peccasset in Adam; nam puritas eo est major, teste S. THOMA, quo quis magis a peccato recedit; ergo.

129. R. III. Omnino admittendum est, B. Virginem habuisse debitum remotum.

Ratio est; quia juxta sensum Patrum et Ecclesiae CHRISTUS est Redemptor omnium hominum, non tantum in suppositione accommoda, sed absoluta : et B. Virgo etiam vere et proprie est redempta a Christo, omnemque gratiam accepit ex meritis Christi ut Redemptoris; hinc enim Alex. VII. in Constitutione n. 121. cit. ait sensum fidelium esse, B. Virginem *fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis preservatam*; et in Oratione, sub finem Officii parvi Immaculatae Conceptionis apposita, dicitur : *Ex morte filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti.*

Hoc autem explicari imprimis nequit, si non admittatur *debitum remotum* : Deinde nulla ratione minuit puritatem B. Virginis : Denique si etiam minueret, admittendum tamen foret, cum nonnisi puritas major, quae sub Deo est, et honori divino non repugnat, illi adscribenda a sanctis Patribus asseratur.

Textus S. BERNARDI n. 123. relatus probat quidem redemptionem duplum modo a Patribus fuisse usurpatam : Christum tamen nonnisi aliquo tamum modo vocari Angelorum Redemptorem, ipsa verba docent.

CAPUT IV.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN ET QUÆNAM SINT POENÆ PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA?

130. *Nota.* De vita humanæ miseriis duplex Catholicis est cum Pelagianis controversia: altera, an illæ, ac præsertim concupiscentia sit mala? adeo enim hanc non esse malam contendebant, ut inde eos S. Aug. Libris contra Julianum patronos, defensores, fautores et laudatores libidinis impudentissimos passim vocare potuerit: altera, an, quæ vitæ hujus etiam fatebantur incommoda, ortum habeant ex peccato? Haec enim una et mortem, cum peccatum originale inficiarentur, poenæ etiam peccati negabant: quin, referente S. Aug. L. de dono persever. c. 11, n. 27. *Ignorantiam et difficultatem; sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia (dicebant) esse naturæ.* De 1º. controversia satis dictum: de 2º. hic breviter agemus, ubi miseriarum vitæ humanae compendium ex BELLARM. L. 6. de amiss. Grat. præmiserimus.

131. *Dico I.* Mala, hominem post originale peccatum infestantia, alia sunt interna, eaque vel in anima, vel in potentia animæ, vel in corpore: alia externa, quæ scilicet vel extra hominem sunt, vel ab extraneo adveniunt.

In anima sunt 1º. Amissio justitiae originalis, quæ præter gratiam sanctificantem complectebatur donum integratiss, quod ex congerie virtutum infusarum intellectum et voluntatem perficientium, obedientia partis inferioris ad superiorum et membrorum corporis ad nutum voluntatis, divinaque protectione extrinseca constabat. 2º. Reatus culpæ, seu debitum sustinendiodium inimicitiae divinæ. 3º. Reatus poenæ, saltem damni.

In potentia animæ numerantur quatuor vulnera, ignorantia, nempe in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu delectabili, infirmitas in appetitu irascibili. Ratione ignorantiæ sœpe plurima ignoramus agenda, sive quoad nos et vitam nostram ac rerum naturas, sive quoad actiones politicas, sive demum etiam quoad morales: præterea multi etiam homines sunt hebetis valde ingenii, fatui item et amentes etc. Ratione malitiæ voluntas propendet ad bona inferiora et præsentia, neglectis aeternis: ad commoda propria et corporis, posthabitis animæ bonis et honestis: ad præsentia etiam diei vel ampi, non consideratis incommodis futuris etc.

Ratione concupiscentiae fertur appetitus ad bona sensibilia, et rebellis pugnat contra spiritum, unde intestinum illud bellum ad mortem usque duraturum nascitur. Ratione infirmitatis homo torpet ad difficultates superandi

